

Q. D. B. V.
FARRAGO
Qvestionum Politicarum
DE
REPUBLICA,

Quam
Auctoritate Inclytæ Faculta-
tis Philosophicæ
IN ALMA LIPSIENSI,


Sub Præfidio

M. ERHARDI WEIGELII,
Weidenâ-Palatini,

Publicè ventilandam proponit

HEINRICUS WEIDEMANN,
Lunæburgensis Saxo,
A U T O R & R E S P O N D E N S .

Decembris
Ad diem XI Novembris Anno 1652.
horis ab octavâ matutinis,
in Auditorio Principum Majori.



Lipsiæ, Literis Lanckisianis

Imprimebat Christophorus Cellarius.

85.

a. CXXI. 34.

Coll. diss. A
129, 34

MARAGO

Geographisches

REPUBLICA

Asiatisches

Handbuch



Handbuch

Handbuch

Handbuch

Handbuch



*In nomine Domini nostri Jesu
Christi.*



In vino auxilio, quô solo ad omnia consilia, omnesqve actus feliciter progredimur, l. 2. C. de offic. Præf. Præt. Afric. Novell. 85. & 80. ordimur, aliquot jam quaterniones de Republica literarum impleturi sulcis, objecto sc. nobilissimo nobilissime discipline Politice, quã Plato *πασῶν*

ἑπιστάκων, Aristoteles *κυρωτάτων καὶ μάλιστα ἀρχιερωνικῶν* nullo veritatis dixit dispendio, l. 1. Eth. C. 1. Tot enim ac tantę sunt, teste etiam Bodino, Politice utilitates, ut omnia omnium imperia, cœtusqve jure sociati ejus unius ope stare, eaqve ex omnibus disciplinis sola principibus, sola claris viris, sola regibus digna esse videatur, in Præfat. librorum de Republ. Et hęc quidem vice tribus constabit thematibus generalibus quod de Republica molimur, cui libet tamen themati quęstiones aliquot quadrantes per *ἐρώτησιν & ὑποβολῆν* subnectemus pro modulo.

THEMA PRIMUM.



Respublica partim ex societate hominum, partim ex rerum communione ad societatem

A 2 hanc

banc necessariâ pullulat : illa est materia Reipublicæ primaria ; hæc secundaria. Societas hominum duplex est : prima sive simplex, quæ naturæ necessitate quotidiani usus gratiâ instituta, ab eadem domo, quâ plerumq; continetur, Domestica appellatur, qualis est 1. Mariti & Uxoris, & dicitur Conjugalis: 2. Parentum & Liberorum, & dicitur Patria. 3. Domini & Servi, & dicitur Herilis; Et Orta sive composita, quæ commodioris vitæ gratiâ naturâ sic alliciente priori quasi superaddita, à Civitate, quam constituit, Civilis appellatur. Illa materiam Reipublicæ remotam; hæc propinquam suppeditat.

Questio I.

An homines temerè & fortuitò atomorum instar in societatem confluxerint?

HOc Epicuri commentum jamdiu refutavit Cicero l. 1. & 2. de Nat. Deorum, nec operæ pretium est, ut pluribus illud refellatur. Nos potius humanarum societatum certas fuisse causas dicimus, & 1. quidem ipsum Deum, omnis boni & honesti principalem autorem: 2. internum humanæ naturæ instinctum, quo ad *κοινωνίαν* homo præ apibus aliisque gregariis animalibus à primis statim incunabulis fertur, hinc etiam *ζῷον πολιτικόν* animal sociabile vocatur Arist. l. 1. pol. c. 2. Has excipiunt aliæ causæ externæ impellentes, sc. 1. periculum, nam etsi duce naturâ, inquit Cicero, congregantur homines, tamen etiam spe custodiæ rerum suarum communia urbium præsidia quærebant, l. 3. de Offic. 2. Indigentia, infantes enim ad vivendum, adultos ad benè vivendum aliorum ope indige-
re.

re tam certum est, quàm quod certissimum. Alii alias insuper causas addunt, non parum tribuentes hac etiam in parte eloquentiæ Oratorum & Poëtarum. Vid. Timpl. l. i. Pol. 3. q. 5. Arnif. l. i. Pol. i.

Questio II.

Utrum duæ, an verò tres personæ requirantur ad integritatem familiæ?

ANtequam directè respondeamus primùm quid Familia sit, & quibus partibus ea constituatur accuratiùs inquirendum. Familia, quod haut obscurè innuit Arist. l. i. Pol. i. nihil aliud est, quàm societas domestica, vel ordo personarum privatarum, unius imperantis & reliquarum obsequentium, necessitate naturæ quotidiani usus gratiâ constitutus. *Partes* ejus, & quidem *integrales*, sunt certæ personæ materialiter familiam constituentes, quarum una *principalis* est & *Paterfamilias* appellatur, quasi caput & origo familiæ; reliquæ sunt *minus principales*, & quidem vel *necessariæ*, putà ratione finis familiæ, qui est partim generis humani propagatio, ad quam requiritur *Uxor*: partim ejusdē conservatio & sustentatio, ad quam requiritur *Servus*; vel *contingentes* ut *liberi*. *Partes essentielles* sunt 1. *materia*, de quâ jam dictum. 2. *forma*, quæ est τὸ ἔξῃς vel ordo personarum bono privato sibi invicem legitimè devinctarum. Ordo hic consistit in relatione reali Patrisfamilias ad reliquas familiæ personas, & vicissim harum ad illum, cujus relationis fundamentum sunt actiones quædam, potissimùm morales, quibus domesticæ personæ sibi quasi correspondent in familiâ. Hæ actiones dicuntur officia personarum œconomicarum, & distinguuntur in *constitutiva* & *administrativa*. *Constitutiva* ferè solùm à Patrefam. dependent, hinc ipse solus caput & origo familiæ dicitur. Sunt autem 1. *Matrimonii initio*, quæ Patrefamilias sibi fœminam legitimè ducit in uxorem ad vitæ consortium, sive mutuum auxilium & sobolis procreationem, hinc resultat, ut ita loquar, Maritalitas & Uxoreitas, primus in familia respectus partialis, quo *Maritus* & *Uxor* constituuntur. 2. *Servi conductio*, quæ Patrefamilias sibi jure vel gentium, vel civili asciscit operarium ad operas domesticas familiæ sustentan-

tan-

tandæ gratiâ perficiendas, hinc resultat Dominium & Servitus, alter in familiâ respectus partialis, quo *Dominus & Servus* constituuntur. 3. *Sobolis procreatio*, quâ Paterfamiliâs secundum naturalem, castum tamen, cum Uxore congressum sibi ex benedictione divinâ liberos acquirit, ad familiæ amplificationem, generisqve propagationem, hinc resultat Paternitas & Filiatio, tertius in Familiâ respectus quasi honorarius, quo *Pater & Filius* constituuntur. Hoc officium, quamvis ad constitutionem familiæ primariò requiri non videatur, cum multæ sint familiæ, absque liberis, quæ nihilominus tamen perfectæ dicuntur. *Hebenthal. Coll. Pol. Exerc. 2. q. 4.* secundum quid tamē ad eam reduci posse nemo negabit. *Administrativa* officia consistunt in regimine privato, quod intercedit inter Patremfamilias, & reliquas familiæ personas. Est autem illud regimen vel *Tyrannicum*, quale est Domini in Servum; vel *Regium*, quale est Patris in liberos; vel *Politicum*, specialiter sic dictum, quale est Mariti in Uxorem.

Ex quibus manifestum est ad familiam perfectè constituendam tres ad minimum personas, ad exornandam & plenariè quasi absolvendam & amplificandam, quatuor requiri, videl. Patremfamilias, Uxorem, Servum & Filium. Ubi tamen notandum, quòd distingvendum hîc sit inter personas physicas, quas constituit substantia ultimata, quâ substantia hominis ita per se subsistit, ut sit neque pars, neque forma, aut quasi forma alteriùs, Fonseca Metaph. l. 5. C. 8. quæst. 5. sect. 9. & inter personas morales, quas constituit personale officium & respectus. Hinc nihil prohibet, quò minus in ignobiliori, verâ tamen, familiâ duæ tantum sint personæ physicæ, si modo deficientis personæ physicæ officio fungantur, ejusqve personam moraliter induant.

Questio III.

Quomodo differat Urbs & Civitas?

UT continens & contentum: Urbis termini muri existunt; civitas autem, non in parietibus aut muris, sed in hominum frequentia posita est. Hinc Scipio Africanus contra pacta cum principibus

pibus Carthagenensium nullo modo egit, qui, cum ad urbem delendam missus, civitati & privilegiis nihil ademptum iri promiserat, nihilominus muros destruxit, & ædificia solo æqvavit, non enim de Urbe tum temporis intelligendum erat, quod promissum de civitate, cum hæc ab illa realiter distingvatur.

Questio IV.

Quomodo differat Civitas & Respublica?

UT materia & forma: Respublica est Civitatis forma, ipsiqve largitur esse, leges & majestatem, Arist. 3. polit. c. 3. id quod in subsequentiibus ulterius declarabitur.

Questio V.

An vita solitaria in benè constitutâ Republicâ sit toleranda?

Rectè Aristoteles: ὁ ἀπολις, inquit, διὰ φύσιν, ἢ διὰ τύχην, ἦτοι φαῦλός ἐστιν, ἢ κρείττων ἢ ἀνθρώπου, ἅμα γὰρ φύσι τοιαῦτος ἢ πολέμω Ἰπτιθυμῆης. i. e. qui sine civitate est per naturam, non per fortunam, aut neqvam est, aut potior qvàm homo: nam simul talis est, & belli cupidus, lib. 1. Polit. c. 2. Ejiciendi igitur sunt ex urbe ejus farinae homines, ut fieri solet, si Respublica humeris magistratus benè sedeat. Præterea etiam vita solitaria repugnat & naturæ & officio hominis, non sibi, sed Reipubl. nati.

Questio VI.

An per communionem, quam diximus materiam, Reipubl. secundariam intelligenda sit communio bonorum Platonica?

Neu-

Neuquam. Tantum enim abest, ut hæc communio faciat aliquid ad salutiferam Reipubl. constitutionem, ut eam potius corrumpat & evertat. Id quod pluribus probat Schönborn. ob oculos ponendo incommoda hanc communionem bonorum Platoniam concomitantia atque infringendo, quæ aliàs minùs dextrè obijci à nonnullis hîc solent, lib. 1. c. 15. Cùm non ampliùs in statu merè naturali vivamus, ubi natura unicuiq; dedit jus in omnia, ubi mensura juris erat utilitas. Thom. Hobbes sub Tit. Libertas C. 1. art. 10. Hinc non inconsideratè diximus: ex rerum communiõne *ad societatem hanc necessariã*. Necessaria autem est communiõ rerum non Platonica, sed Aristotelica, quæ non ad omnimodam & indifferentem possessionem, sed ad concessam usurpationem rerum honestè communicabilium sese extendit.

Questio VII.

An quis duarum vel plurium Civitatum possit audire civis?

Affirmatur. Sic Genevenses leguntur esse cives Bernates & vicissim. Sic Rex Galliæ honorarius cluit civis Helvetiorum & Venetorum. Wendelinus lib. 1. Pol. c. 6. Et licet non exemplis, sed legibus judicandum foret, l. 13. C. de Sentent. & interlocut. nulla tamen invenitur lex huic consuetudini iter obsepiciens, si modo distingvatur inter verum & completum civem, & inter honorarium vel inquilinum. Deinde inter subordinata municipia, & inter oppositas Respublicas.

Questio IX.

An ante lapsum futura fuisset Respublica?

Distingvimus formas: ante lapsum, vel in statu integritatis forma non tam imperfecta, materia sive objectum, non tam frivolum fuisset, uti jam temporis, verum quantum lucidissima illa æthe-

theris lampas astrorum fulgorem coërcet, tantum modernarum
Rerumpublicarum formas status integritatis forma castigasset.

THEMA SECUNDUM.

Forma Reipublicæ non accidentalis, sed essen-
tialis, hoc est, ea quæ dat ultimum essendi vel
existendi actum, adeoquæ formalem Reipubli-
cæ rationem constituit, est *Ordo* sive ordo hominum,
certis imperantium obtemperantiumquæ legibus in-
ter se bono publico devinctorum. Videlicet, quem-
admodum familiæ forma *Ordo* est unius imperantis
et reliquorum obsequentium, bono privato sibi in-
vicem devinctorum; ita Reipublicæ forma non
multitudo, cum ea latronibus etiam competat, Sed,
ut Aristoteles loquitur, *Ordo* est, 3. Politicorum
c. 6. quam vocem perinde hic est sive ordinem,
sive ordinationem reddas, modò attendas, ordinem
b. l. non tam physicum et arithmeticum, quàm mo-
ralem et politicum intelligi, qui consistit potissi-
mùm in relatione reali imperantium, et parentium
bono publico sibi devinctorum, cuius relationis fun-
damentum sunt actiones illæ morales, quibus per-
sonæ civiles sibi invicem ad bonum commune quasi
correspondent in Republica. Actiones hæ dicun-
tur officia personarum civilium, quæ ut secundum
rationis normam perficiantur, certis legibus pro-
B tio.

tione status definiuntur. Sunt autem vel constituti-
va, quibus constituitur Respublica, quo pertinet
familiarum unitio, Magistratus electio; vel admi-
nistrativa, quibus administratur Respublica, &
consistunt potissimum in regimine boni publici cau-
sâ instituto, quod intercedit inter magistratum &
subditos, & est vel Monarchicum, vel Aristocrati-
cum, vel Democraticum, ut postea sequetur.

Questio I.

An forma Reipublicæ sint Leges?

Leges sunt fundamentum regiminis & vinculum societatis, sunt
spiritus vitalis, sine quibus nec domus ulla, nec civitas, nec gens,
nec hominum universum genus stare nec rerum natura omnis, nec
ipse mundus potest. Cic. lib. 3. de LL. Forma verò Reip. est τάξις vel
ordo, legum fulcro velut innixa, earumque præscripto quasi con-
formata.

Questio II.

An Respublica sine Legibus florere possit?

Philosophorum Princeps tres partes præcipuas constituit, à qua-
rum incolumitate pendeat incolumitas Reipublicæ, ex prava
verò earum affectione exitium 4. Polit. c. 14. ἔστι ἡ inquiring, τὴν ἀνάγκην
τῶν πολιτειῶν πασῶν, ἧν ἔχόντων καλῶς, ἀνάγκη τὴν Πολιτείαν
ἔχειν καλῶς. Ἐν μὲν τι τὸ βλεπόμενον πρὸς τῶν κοινῶν. Δεύτερον ἡ τὸ
πρὸς τὰς δέχασ· τρίτον ἡ τὸ δικάζον. Nullam autem harum partium
sine legibus consistere posse certum est. Prima pars audit consiliaria,
de rebus communibus deliberans & consultans. Quænam autem

β8-

βελή destituta fulcro legum, quæ discernant honesta & turpia, quæ
 sunt norma & regula justī & injustī, l. 2. ff. de LL. scopum sibi præfi-
 xum attingere unquam potuit? Quemadmodum sc. architectus toti
 obesse solet ædificio, nisi ad amissim a sciat & coordinat; ita nisi se-
 cundum normam legum consilia sua instituunt consultantes in pu-
 blicum, toti sæpè Reipublicæ maximum afferunt detrimentum. Al-
 tera pars insignitur τὸ πείρασ δέχασ imperans seu magistratus, de
 quo gravis dicendi artifex Cicero: videtis, inquit, magistratus hanc
 esse vim ut præsit, præscribatq̄ve recta & utilia, imò conjuncta cum
 legibus? Uti enim magistratui leges, ita populo præfunt magistratus:
 vereq̄ve dici potest, magistratum esse legem loquentem; legem au-
 tem mutum magistratum, l. 3. de LL. Et Aristoteles, καὶν εἰ τινὰς ἀρ-
 χεῖν βέλιον, τίτρε κατασάβρον νομοφύλακας καὶ ὑπὴρέτας τοῖς νό-
 μοις, i. e. si quosdam imperare præstat, illi ita sunt præficiendi, ut cu-
 stodes legum illarumq̄ve ministri, 3. Polit. c. 16. Tertia pars inscribi-
 tur judicans, sive τὸ δικαστήριον, causas forenses legitimè cognoscens
 & dirimens. Et hîc leges familiam ducunt, cum primis propter ini-
 quitatem & malitiam quorundam judicum, ut ut enim quid justum
 sit, interdum sentiant, affectus tamen in multis ita aurigantur, ut
 vel favore vel odio, vel amicitia ducti non rarò contra jus & justi-
 tiam pronunciarent, nisi leges rectè latæ illis habenas injicerent, fa-
 cileq̄ve fieri posset, ut in unâ eademq̄ve causâ non unò sed diverso
 pronunciarent modo, nisi legum cum omnibus semper unâ atq̄ve
 eâdem voce loquentium præscripto manu quasi ducerentur.

Quæstio III.

Num leges statutaq̄ve à majoribus lata po. sint à
 principe mutari?

Quamvis omnis mutatio periculosa, tamè exigente sic rei neces-
 sitate integrum est principi, pro varietate locorum, temporum
 & personarum leges statutaq̄; immutare, quemadmodum enim prin-
 ceptis ex eo quod delictum vel pœnâ dignum de jure gentium minùs
 habetur, delictum facere, eiq̄ve pœnam indere: quæq̄ve jure divino

capitalia non sunt, capitalia facere potest, si id necessitas Reipubl. jubeat, ut exemplo notorio in furtis, à Carolo V. Imperatore laudatissimo, exhibito constat; ita pro diversitate circumstantiarum prædictarum ipsæ leges à Principe mutari & ad Reipubl. statum accommodari possunt, modò id leniter & lentè fiat, Keck. 1. Syst. 6.

Questio IV.

An magistratus in suâ Republicâ, salvâ conscientiâ, statuta tolerare possit irrationabilia?

Negatur. Statuta enim debent esse rationabilia, cum valeant uti Lex; anima autem legis ratio est. Meritò igitur reprobanda veniunt statuta quædam negotiantium, sc. ut res non minoris, quàm inter eos conveniat, vendatur, quia hoc præjudicat ordinariæ jurisdictioni. Imò irrationabile est statutum, ne quis doceat artem, nisi tanto pretio vel non minori tempore quàm per triennium aut ultra, cum utiqve minori doceri queat, fiunt enim hæc in præjudiciũ tertii, qualia non procedunt. Similiter etiam malè audit statutum, ne in collegia & functiones publicas liberi molitorum & textorum recipiantur, prout expresse videre est im Reichs Abschied zu Augspurg/ de anno 1548. sub Rubricâ von Handwerckssohnen.

Questio V.

An æquitas rigori legum in benè constitutâ Republica sit præferenda?

Resp. In verbis adeò claris ac perspicuis, ut salvâ recti sermonis ratione interpretationem aliam recipere minimè valeant, legem etiam duram sequamur: Si verò verba non adeò inveniantur lucida interpretationem ex æquo & bono stricto jure præferamus, l. 9. ff. de R. I.

Qva-

Questio VI.

An possint ad Reipublicæ clavum admitti ætate adhuc juvenili?

INiqvi & ignari humanæ conditionis sumus, si annularum legum tenaces, indolem virtutemqve omnem temporis limitibus concludamus. Quemadmodum enim fruticem interdum fructu lætum ac floridum, arborem contra proceram vetulamqve infelicem; sic in puero virum sæpe videmus & puerum in viro. Puteanus Orat. 1. Exemplo hoc constat Salomonis, Scipionis, &c. Vid. Roma Illustr. Lipsii c. 4. de Magistr. Apud Majores etiam, inquit Tacitus (lib. II. Annal.) virtutis id præmium fuit, cunctisqve civium, si bonis artibus fiderent, licitum petere Magistratus: ac ne ætas quidem distinguebatur, quin prima statim juvenia consulatum & dictaturas inirent. Sed mutatum id esse A. V. C. 573 Lips. ait d. l. Id quod Cicero improbat, dicens: Veteres illi leges Annales non habuerunt, quas multis post annis attulit ambitio, ut gradus essent petitionis inter æquales; quâ re factum, ut magna, sæpe indoles virtutis, priusquam Reipubl. prodesse posset, extincta fuerit, Puteanus d. l.

Questio VII.

Utrum præstet opulentos an egenos officiis præficere publicis?

Optima est Respublica, in quâ mediæ civis, quorum nec egestas est sordida nec insolens opulentia, admittuntur. Rationes interim politicæ faciunt pro ditioribus.

Questio IX.

An indigenæ detrectantes officia publica, cogi ad ea possint?

Affirmatur. Secundum naturam enim est incommoda cujusque rei, eum sequi, quem sequuntur commoda, l. 10. ff. de R. L.

Questio IX.

An ambulatorii magistratus præstent
perpetuis?

Majores magistratus perpetuos esse præstat quàm ambulatorios; Minores contrà ambulatorios. Porro distingvimus cum Politicis formas Reipubl. hoc scil. modo: Monarchia gubernatorem requirit perpetuum: Democratia ambulatorium. Aristocratia ex utroque participat. Wendelin. lib. 2. Doctr. Polit. c. 1. Cum primis tamen videndum, quid cujusque ferat loci consuetudo imò quid facilius admittant mores ingeniaque subditorum.

Questio X.

An officia publica singula singulis, an si Respublica multis non possit solvere stipendia, uni possint & debeant demandari?

Distingvimus hinc cum Aristotele inter magnas Respublicas & parvas: in illis licet & debent singuli magistratus ad singula opera deputari, cum melius singula curentur, si non in multis cura nostra distrahatur: In his necesse est in paucos magistratus plures conferre. Ratio petatur ex lib. 4. Polit. Arist. c. 15.

Questio XI.

An executores justitiæ seu carnifices per se possint & debeant haberi infames?

Infamia existimationis s. famæ imminutio duarum est specierum, juris & facti: illa ex turpi causâ nocenti competit; hæc gravium & bonorum hominum opinione infligitur. Re rectæ rationis scalpello circumcisâ, executoribus justitiæ per se neutra accommodari potest, utraqve tamen per accidens.

THE-

THEMA TERTIUM.

Distinctio Rerumpublicarum ab imperantium diversitate, tanquam à potiori, desumitur apud omnes, quos unquam vidi Politicos. Cumq; imperantes in triplici potissimum deprehendantur differentiâ, quod habet obscurè Tacitus innuit, cunctas nationes, inquit, & urbes aut populus, aut primores, aut singuli regunt, l. 3. Annal. ideoq; tres Rerumpublicarum formas sive species præcipuas esse nemo non intelligit, puta Monarchiam, in quâ penes unum: Aristocratiam, in quâ penes optimates plures: Democratiam, in quâ penes populum est gubernatio politica, boni publici causâ instituta. Boni publici causâ, inquam, ea enim vera demum est Respublica, in quâ publica omnium res & bonum commune unicè atq; unicè intenditur; Spuria verò, in quâ privatum commodum ultimus regiminis scopus est, qualis est 1. Tyrannis, opposita Monarchie. 2. Oligarchia, opposita Aristocratie. 3. Cyclopica Ochlocratia, opposita Democratia. Tantum enim abest, ut hæc species Reipublicæ nomen mereantur, ut illud potius respiciant, & Rerum-privatarum appellatione non immeritò sint insigniendæ. Quæ admodum autem Syllogismus sophisticus, ut ut nihil minus sit quàm Syllo-

Syllo-

Syllogismus, nomen tamen commune vulgò participat; ita prædictæ species, licet nihil minus sint quàm Respublicæ, communi tamen Rerumpublicarum nomine vulgò notantur.

Questio I.

An detur Species Reipubl. mixta?

Affirm. Distingventes inter jus gubernandi & rationem gubernationis: item inter statum & administrationem. Miscentur enim inter se, & remittuntur aut intenduntur Respublicæ, sed sic, ut præponderet semper aliqua pars, à quâ jure ei nomen, quod præter Lipsium Arnisæus in doctrina testatur politicâ.

Questio II.

An monarchia sit omnium prima specierum & optima?

Affirmamus prius; ita enim Sallustium in initio belli Catilinarij differere memini: In terris nomen Imperii primum fuit: ita Justinum in historia sua præfatum: Principio rerum, gentium, nationumque omnium imperium penes Reges erat. Natura etiam, inquit Seneca lib. 1. de clement. c. 19. commenta est regem, quod ex aliis animalibus licet cognoscere, in primis ex apibus. Distingvimus posterius: Nam Monarchia potest esse species præstantior, & tamen eligibilior huic vel illi populo Aristocratia. Interim unius Imperium, pietate & religione inclytum, sub quo non gravis dominatus sed justum & legitimum imperium est, omnium Politicorum consensu præsertur.

Questio III.

An quatuor tantùm dentur Monarchiæ?

Monar-

Monarchiæ, sc. excellenter sic dictæ, à Daniele præfiguratæ, quæ
Deus præ cæteris potentiâ instruxit, & dignitate ornavit, ut
præ reliquis emineant, velut inter stellas Luna minores, quatuor tan-
tum enumerantur, vid. Assyriorum, Persarum & Medorum, Græco-
rum, & denique Romanorum: at communiter loquendo ferè innu-
meræ dantur Monarchiæ, ubicunqve scil. penes unum sive ille Cæ-
sar, sive Rex, sive Princeps, sive Dux dicatur, residet Majestas.

Questio IV.

An, cum Monarchia acquiratur vel electione vel
successione, illa huic, an hæc illi sit præfe-
renda?

Affirmamus prius si liberum sit utrumqve. Certius enim ex ele-
ctione quàm successione bonum speramus principem, nec fal-
litur probè instituta electio, neqve prava fit nisi per accidens. Unde
rectè Tacitus in hæc erupit verba: optimum quemqve invenit ele-
ctio. Item Plinius ait: imperaturus omnibus, eligi debet ex omnibus.

Questio V.

An Imperator sit solutus legibus?

Cùm Imperator sit fons origoqve omnis jurisdictionis stamus ab
Ulpiano in l. 31. ff. de LL. dicente: Principem verè & simpliciter
Lege Regiâ legibus esse solutum. Qui tamen spontè se iis propter ho-
nestatem utilitatemqve subjecit, & secundum eas se vivere velle pro-
fessus est §. finali Instit. quibus modis testamentum infirmatur, l. 4.
C. de LL.

Questio VI.

An Imperium Romanum sit status mixtus?

Affirmamus, hoc præsupponentes, quod præponderet in illo
Monarchia, à quâ non immeritò ei denominatio; quod exinde

C

li

liquet, quod Cæsar pleraque summa majestatis jura sibi soli asserva-
verit, qualia, secundum politicos, sunt: investitura principalis,
regale folium, Corona, Pallium regale, Sceptum, Pomum aureum,
quod orbis figuram exhibet imò multa alia. Dicimus autem esse mi-
xtum, quia duæ, aut tres etiam administrationis species in eo inveni-
untur, & quasi miscentur, putà Monarchia, Aristocratia & Demo-
cratia. Nam in ipso Cæsare spectatur Monarchia: in Electorum
Collegio Aristocratia; in aliquibus Imperii civitatibus Democratia,
quæ tamen parum ad universum imperii statum, ejusque rationem,
hâc in parte facere videtur.

Questio VII.

An licitum sit Tyranno manus inferre?

Dupliciter fit, ut quis audiat Tyrannus. 1. Ratione tituli, si abs-
que ullo jure armis principatum invadat vel occupet. 2. Ra-
tione administrationis, ut si is, qui est verus princeps, regni admini-
strationem flectat non ad bonum publicum, sed ad sua privata com-
moda, onerando illud injustis exactionibus, vendendi officia judi-
cum, condendo leges sibi proficuas, Reipubl. parum utiles. Primi ge-
neris Tyrannus justè potest interfici, non tamen à quovis indifferen-
ter. Tyrannum quoad administrationem tantum interimere non
debet.

Questio IIX.

Quomodo differant Aristocratia & Oli- garchia?

UT oppositæ species; nam Oligarchia est dominatus, in quo ha-
benas Reipubl. pauci inque potentiores nullâ prudentiæ ac ho-
nestatis habitâ ratione ad se rapiunt, & non tam lege quam libidine
suâ privati commodi causâ imperant. Aristocratia verò est ubi ex-
ercitium jurisdictionis juriisque Majestatis non quidem penes
quem-

quemlibet in solidum, sed penes optimates simul sumptos est, qui virtute & prudentiâ Reipublicæ moderantur habenas ad publicam honestatem & communem civium felicitatem.

COROLLARIA

Quæ ita admetiri placet, ut statum conjugalem, herilem & patrium concernant, quorum mentio facta est in themate primo.

An Polygamia sit licita?

Successiva quidem est licita, quâ se. in locum conjugis defuncti vel defunctæ succedit alter vel altera, minimè verò simultanea, quâ quis uno tempore duas vel plures alit uxores, cum sit prohibita. per l. 2. C. de incæst. Nuptiis l. 18. C. ad Legem Jul. de Adult. Constit. Criminal. Caroli V. Art. 121.

An consensus parentum ad constitutionem matrimonii necessarius sit?

Affirmatur 1. jure divino Colofs. 3. v. 20. ubi filii jubentur obedire parentibus in omnibus. Confer Deut. 7, 3. &c. 2. jure naturali & civili, in pr. Instit. de nuptiis. 3. nec jus canonicum refragari, sed potius hoc præcipere videtur in c. aliter. c. nostrates. caus. 30. qv. 5. &c.

An Jcti docentes servitutem naturæ contrariam esse, & jure Naturali omnes homines ab initio liberos nasci, §. 5. Instit. de J. N. G. & C. cum Aristotele affirmante, quosdam nasci servos & servitutem ex naturâ ortum trahere, lib. 1. politic. c. 3. conciliari possint?

Affirm. Apud Aristotelem enim servitus significat imbecillitatem ingenii, cui opus sit regi alieno consilio: apud Jctos significat certam formam, quâ victor continet victos. Et quidem litigat Aristoteles cum his, qui statuunt hanc servitutem naturæ contra-

riam esse: ostendit enim quod habeat causam in natura positam, sc. imbecillitatem ingenii, quæ cum nascatur cum hominibus, necesse est eos regi alieno consilio, quod si qui regi se non patiuntur, hi vi opprimendi & continendi sunt, ut reliqua multitudo generis humani conservari possit: sicut à corpore interdum præcidi membra corrupta oportet, ne totum corpus pereat. Mynsig. lib. i. Instit. §. jus autem Gentium.

An jus patriæ potestatis sit omnium gentium?

Affirmatur, quamvis enim jus patriæ potestatis civium Romanorum proprium esse dicatur §. 2. Inst. de P. P. distingvendum tamen hîc est inter patriam potestatem ratione suæ essentiæ & originis generaliter, & ratione formæ & effectuum specialiter consideratam. Priori modo juris gentium est; posteriori v. jure civili Romanorum propria. Ea propter Imperator dicto loco addit particulam *talem*, quod nulli scil. homines talem habeant in liberos potestatem, qualem Romani.

F I N I S.



Coll. diss. A. 129 misc. 34